

ARCHIVIO GENERALIZIO - Sezione Storica

Chierici Regolari Somaschi

n. PCB 630

Jisawjn

14 settembre 1960

J. IJsewijn
Floegstraat 10
ANTWERPEN
(BELGIUM)

Joanni Baptistae Pigato Josephus IJsewijn ex animo
S.P.D.

Acceptis tuis litteris, Reverentissime Domine, gavisus sum simul ac dolui. Dolui ob molestissimam, quam perpessus es, vitae condicionem. Gavisus tamen sum quod eam in meliorem statum iamiam mutari scripsisti. Persuasum itaque habeo Phoebum mox tibi ex integro arrisurum esse. Ex imo namque animo spero te a Musis ingenium tuum haud remoturum esse: carmina tua, etsi interdum intellectu difficiliora sunt, inter optima huiusce temporis collocare ausim. Iis enim inest cogitatorum ac sensuum vis quaedam et robur nativum, quibus nimis multa poetarum viventium exercitamenta scholastica vel rhetorica carent. Perge igitur quo cepisti nobisque aliquando "CARMINUM" corpus offer, quo dignum iuxta Pascolium et Genovesium locum inter poetas latinos saeculi XX obtinebis. Ceteroquin quae in primo huius anni LATINITATIS libello de "Matre" scripsisti, validissima animi commotione legimus. Quo patet te non minus pedestri quam poetica oratione valere!

Ad nos quod attinet, uxor et filiola et ego - Deo gratias! - optime valemus. Rogatus sum ut a mense Octobri proximo grammaticam latinam in Studiorum Universitate Catholica Lovaniensi docerem. Quod propositum libenter accepi, utpote qui litteras latinas semper in deliciis habeam. De studiis autem meis ad poesin recentissimam pertinentibus haec scito: quoquo anno in "Latinitate" conspectum edere, qualem legisti, mihi in animo est (Doleo quod praeter expectationem superioris elucubrationis nullum mihi redditum est exemplar seorsum expressum.). Per has porro ferias una cum Josepho Eberle Stugardiano et Henrico Schnur Novo-Eboracensi egi de condendo commentariolo trimestri, qui "Musa Latina" inscribetur. Commentariolus poesi latinae tam metricae quam rhythmicae excolendae dicabitur. Fortasse et tu aliquando nobis quaedam ingenii tui specimina offerre dignaberis.

Rogare tandem velim utrum quantum Aemilii Merone, poetae ni fallor Neapolitani, carminum libellum videris nonne. Etenim anno 1959 "MUNUSCULA Musae" edidit, quae frustra tamen quaesivi. Libello praefatus est Bernardus Riposati, Universitatis Mediolanensis doctor, qui hucusque litteris meis responsum non dedit. Poetae ipsius domicilium invenire nondum potui.

Haec sunt quae scribere habui: libellum quem misisse scripsisti, nondum accepi at magno cum studio lecturus sum. Vale!

Dedi Antverpia, a. d. XVIII Kal. Octobr. anno MCMLX.

